

432

430

436

426

441

421

481

381

331

417

**De petra mirabili scissura rupta in passione Domini.**

Expletis peregrinalibus officiis juxta fontem gloriosae Mariae Virginis ulterius processimus et montem Sion gyramus contra australem ejus plagam euntes, et ibi vallem Siloe ingressi contra occidentem venimus ad rivulum aquarum, quae contra vallem Josaphat cum silentio transeunt; ut dicitur Jesaiæ VIII., de aquis fontis Siloe sine strepitu et sonitu. Per illum ergo rivulum ascendimus, qui decurrit ad latus montis Syon, et ad locum venimus, ubi de rivulo consurgit petra alta, quasi pes montis Syon, et illa petra habet a summo usque deorsum magnam scissuram, ita, quod homo potest sine pressura intrare rupturam rupis. Dicunt autem, hanc scissuram in passione Domini factam, sicut dicitur Matth. 26.: et petrae scissæ sunt. Transilivimus ergo rivulum, et per rupturam ingressi sumus, usque quo propter umbras ulterius procedere amplius ausi non fuimus.

**De natatoria Siloe, in qua se lavit coecus et visum recepit.**

De ruptura petrae exeuntes, et fluviolum Siloe transilientes ulterius contra rivum ascendimus usque ad natatoria Siloe, ad quam natatoriam misit Jesus Celidonium, coecum a nativitate, ut lavaretur. Et lavit, et visum recepit, ut dicitur Joh. IX. Haec natatoria nihil aliud fuit, nisi quoddam stagnum, factum sub fonte Siloe, in quod colligebantur aquae fluentes de fonte, circumseptum lapidibus et terra, sicut apud nos faciunt piscinas. In illa natatoria nunc nulla est aqua, quia rivus in eam non fluit, sed ad latus ejus pertransit descendens. Quidam Sarracenus nunc plantatum habet hortum olerum inter muros natatoriaie, et quaedam arbores in ea creverunt. His tamen non obstantibus locum ingressi sumus, propter Christi antiquum miraculum ibi factum, et oratione dicta indulgentias receperimus (†). In quodam peregrinatorio legi, quod in illa natatoria se lavit Bethsabea, uxor Uriæ, quando eam vidit David ex adverso domus suae, et concupivit, ac tulit. Sed hoc ego intelligere non possum, cum non possit esse prospectus

27

Ende

Anfang

